



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011860X**

§. 4. Papæ responsum ad plures articulos Legatis datum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolver.de/urn/resolver.pl?urn=urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

Sæcul. XVI. lanensi Ducatu, cuius Gubernator erat,  
A. C. 1562.

oppido necessaria esset ob recentes tumultus, quos Galli Calvinistæ in Delphinatu suscitassent, non pauci tamen suspicabantur, quod Hispaniæ Regis jussu recessisset, ne adventantibus Gallicarum Oratoribus, qui indies exspectabantur, in Synodo præsens adesset: quinimo eandem hanc caussam Marchio allegabat in literis ad Mantuanum Cardinalem datis: interea vero Legati, quod avide præstolabantur, Pontificis respondsum acceperunt circa controversias in Congregatione die vigesima Aprilis exortas.

#### §. IV.

*Papæ responsum ad plures articulos  
Legatis datum.*

Pallav. cap. 8. n. I. & seq. Itaque summus Pontifex præprimis suos Legatos monebat, ut in condendis

reformationis decretis multa uterentur prudentia, ac moderatione, ne exinde tumultus suscitentur: porro ad hoc respondebant Legati, quod ad omnem sollicitudinem impendendam, ut Aulæ Romanæ honor illæsus servaretur, parati sint, nec arbitrentur, hac in re Patres ipsis obluctatus.

Secundo loco Papa eos hortabatur, ut tunc, cum aliquod, quod ad ipsos Romanos Pontifices attineret, sancien-

dum

dum esset Decretum, ipsius nomine fieret cum hac inscriptione, in multis Synodis usurpata: *Pius Papa IV. approbante Sacrosancta Synodo*: porro ad id respondebant Legati, eam inscriptionem nonnisi, cum ipsi Pontifices adessent Conciliis, usurpatam fuisse, ac proinde eam, cum de illius usu Pauli III. tempore deliberaretur, post matura consilia tum a Pontifice, tum a Legatis esse prætermissam, ut tumultus evitarentur: de cetero autem se persuasos dicebant, quod opus non esset, ut hæc quæstio proponeretur, cum ipsi tunc omnes Synodi Patres paratos cernerent ad tuendam Papæ auctoritatem.

Præter hæc Pontifex declarabat, quod ad Cruciatam in Hispania abrogandam sit propensus, ac proin velit, ut Hispanorum Præsulum nonnulli hanc rem in Concilio proponerent, ac Legati hoc propositum ratum haberent, contra tamen Regis Hispaniæ indignationem.

Dein Legatos excitabat Papa, ut alacri essent animo, nec sinerent se vinci magnanimitatis laude ab illis Legatis, qui Synodo interfuerant ætate Caroli V. per ea tempora armis prævalidi, qui simul etiam omnem suam operam illis exhibebat apud Principes ad quietem, tranquillitatemque Concilii.

A 3

Ad

Sæcul. XVI.A.C. 1562.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1562

Ad hæc reponebant Legati: „oscu-  
„lamur quidem vestræ Sanctitatis pe-  
„des ob hujusmodi monita, nec unquam,  
„quamdiu vestra Sanctitas regnabit, ti-  
„moris caussam reperiemus, atque o-  
„stendemus per quascunque rerum con-  
„ditiones, quantam in nostris animis  
„vim habeat studium pontificiæ aucto-  
„ritatis, & emolumentum Ecclesiæ, ut  
„quodvis humanum discrimen subire,  
„longeque animi magnitudine Pauli III.  
„Legatos superare parati simus.,, Por-  
ro his verbis fugillabant ignaviam,  
quam hi Legati satis testatain redde-  
bant, quando de Synodo Bononiam trans-  
ferenda agebatur.

Ceterum circa residentiæ articulum  
Papa Legatis hæc significabat: „quo-  
„niam tanta inter Patres est opinio-  
„num dissensio, & æmulatio, ex duobus  
„mediis alterutrum arripi exopto, ut  
„vel disputatio sopiaitur omnino, aut  
„tantisper protrahatur, dum æstu de-  
„fervescente de hac re cum majori ani-  
„morum tranquillitate deliberari possit,  
„ea proin ratione, quæ nec illis, qui cum  
„tanta animi elatione loquuntur, quasi  
„triumphum affereret, nec ceteris, qui  
„ad pacem magis propensi sunt, animi  
„dejectionem afferret.,,

Ad hæc rescriperunt Legati: „pri-  
„mum ex propositis consiliis perdiffi-  
„cile

„cile nobis videtur, sed de altero plu- **Sæcul. XVI.**  
 „rimum sperare licet, si differretur illius **A.C. 1562.**  
 „argumenti discussio, vel saltem ad tem-  
 „pus rejiceretur, ubi de ordinis  
 „Sacramento agendum esset.,, Enim-  
 vero postremum ex his consiliis postea  
 effectui datum est a Legatis.

Tandem Papa suis monitis finem imponens Legatos hortabatur, ut inter se, ac cum ceteris Episcopis arctam animorum conjunctionem servare niterentur: cum autem his verbis perinde, acsi inter se discordes essent, illis exprobrare videretur, hinc respondebant Legati: „videtur nobis, fieri non posse,  
 „ne ibi, ubi diversæ sunt Nationes, di-  
 „versæ interdum opiniones audiantur:  
 „id quoque nobis ipsis quandoque con-  
 „tigerat: inde vero neutquam adver-  
 „sa voluntas, aut remissius studium pro  
 „tuenda Sedis Apostolicæ auctoritate  
 „in nobis fuit, cum omnes ad ean-  
 „dem metam concordes tenderemus,  
 „nimirum ad Ecclesiæ emolumentum,  
 „ad quod aliam aliis viam aptius duce-  
 „re existimabat: hinc nullam inde mo-  
 „lestiam Sanctitas sua capiat.,,

### §. V.

*Papæ consilium de revocandis veteribus Legatis, novisque Tridentum mittendis.*

A 4

Sum-